

regnante Theodorico rege, qui visit¹ per quindecim annos in urbe Mediolani, gerens semper² inviolabiliter regnum Ligurie, quod postea dictum est Italie regnum. Cuius corona est ferrea a viris ferocibus dicta, quam basilice sancti³ Iohannis site in loco Moice legavit⁴; ad cuius memoriam et ad regni Italie coronam suscipiendam Romani imperatores⁵ usque in odierum⁶ diem coronam⁷ suscipiunt. Honores⁸ vero tam in spiritualibus quam in temporalibus viris nobilibus et magnatibus Mediolani dedit et concessit. Tumulus enim sepulture eiusdem Theodorici regis fuit prope ecclesiam beati Ambroxii⁹, super quem tumulum constructa fuit ecclesia in honore beati Michaelis archangeli¹⁰.

Regnavit igitur Alboin, postquam a Ticinensi rediit civitate, per annos quatuor et menses tres, postea insidiis Resemonde coniugis sue interemptus est¹¹. Eodem autem tempore Aripertus¹² sedem regalem et Italie regnum Mediolanum gerebat¹³. Qui cum Romanorum precepto Romanam accederet urbem, Romanum suo tempore gubernavit imperium. Tunc quidam de Ungarie partibus vir nobilis, amicus Alboin et in armis eius collateralis¹⁴, videns Italiam absque rege et domino esse, ad Elotarium Ungariensem regem proficisci festinavit, *f. 47b. dicens Italiam fore spaciosam, *omnibus divitiis et bonis plenam¹⁵, civitates eius opulentissimas, loca et castra copiosissima esse, dominum nec gubernatorem habere, inducens et eum exortando, ut ad ipsam subiugandam cum exercitu pergere properaret. Audiens vero et intelligens que sibi proposuerat, corde et animo intento, consilio principum ac virorum nobilium habito, de quorum fuit consilio, ut ad Italiam debellandam pariter et subiugandam virum nobilem et prudentem mittere deberet. Elotarius autem rex Narsem cartularium et imperialem cancelarium, virum magne prudentie et audacie, in armis bellicis ferocissimum, concordia principum dominum et rectorem exercitus constituit. Collegerat namque ipse rex exercitum magnum, quem sub potestate et dominio Narsis posuit. Cumque ipse Narsis in introitu Italie, in partibus scilicet Venetiarum, cum suo exercitu accessisset, sua in illis partibus fixit tentoria. Ibique fertur habuisse quinquaginta duo milia militum et virorum armatorum. Steterunt postea

1) 'vixit' E. 2) 'sepe' E. 3) 'sancte' E. 4) 'ligavit' Hs.
 5) 'imperatoris' E. 6) 'hod' E 7) 'coronas' E. 8) 'Quo res' E.
 9) 'Ambrosii' E. Der historische Theoderich wurde bekanntlich in Ravenna begraben. 10) 'arch. Mich.' E Mit diesen Worten endet da die aus Codagn. abgeschriebene Partic. 11) Dies aus Paul. Hist. Lang. II, 28. 12) Zwei Langobardenkönige des Namens Aripert giebt es bekanntlich. 13) Wohl 'Mediolani regebat' zu emendieren. 14) 'collateralis' Hs. 15) Dies mit Anlehnung an Paul. Hist. Lang. II, 5, wo Narses den Langobarden dasselbe melden lässt.